



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput VII. De continuitate peccati furti in eo qui non restituit. Remissivè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

indigens habet ex sua necessitate jus ad occupandas res, quæ sub nullo sunt dominio, & contra Iustitiam faceret, qui jus illud per vim impediret: sic habet idem ius ad occupandas eas res, quæ sunt sub dominio alicujus, quia in necessitate omnia sunt communia, & primi occupantis, perinde profus, ac si ea essent sub nullo dominio.

Dico tertio, obligationem, quam habet dives non repetendi, seu non resumendi res, quas indigens pro sua necessitate sublevanda occupavit, esse ex Iustitia. Ratio est clare ex dictis, quia, ut vidimus n. 5. post occupationem indigens fit dominus rei occupatae.

Ex dictis jam colligitur divitem, si cibum, v. g. non offerat indigenti, non obligari ad refarcienda damna facta, si forte is fame moriatur, quia tunc dives contra Charitatem peccat, non contra Iustitiam: obligari autem, si vi impediat a sumendo, vel si cibum jam ab indigenti occupatum per eam vim repetat, quia tunc peccat contra Iustitiam.

CAPVT VII.

De Continuatione peccati furti in eo, qui non restituit. Remissive.

DE hac re, ea, quæ dixi in *Methodo Confess.* l. 2. c. 1. §. 7. loquendo universim de peccato habituali, satis, superque sunt pro praxi: ea igitur legere ne graveris.

CAPVT VIII.

De emptione rei furtivæ.

1. Sermo hic est de emente mala fide, licet autem qui dubius est, rem esse furtivam, & sub hoc dubio emit, sit etiam sine controversia emptor malæ fidei; quia debuit prius indagare veritatem, secus culpabiliter rem illam contrahat: tamen non statim, ac habetur rumor, vel suspicio, quodd, qui vendit, solet res furtivas vendere, judicandus est injustus venditor: sed debent rationes alicujus momenti id persuadere: quæ nemo, si non constet, præsumendus est delictum committere.

2. Iam verò duplici modo se habere is potest, qui rem ejusmodi furtivam emit. Primo, animo sibi retinendi. Secundo, animo reddendi illam domino, à quo pretium suum recipiat.

3. Si se habeat priore modo, præter peccatum furti debebit illam rem domino restituere, ut nimis est clarum, etiam si multo pretio eam emisset, & etiam si hoc pretium à suo venditore nequaquam esset recuperaturus. Ratio est, quia, qui dolose agit, dignus est, ut amittat rem, & pretium.

4. Hinc fit, ut ipse fur, qui accepto pretio rem furtivam vendidit, & eandem consignavit ei, qui sciebat rem esse furtivam, si facti ipsum pœniteat, non debeat reddere pretium ipsi ementi, sed domino rei. Ita Molin. tom. 3. d. 330. n. 3. Ratio est, quia dum ipse mens sciebat rem illam furtivam esse, sponte, & culpa sua se subiecit periculo amittendi pretium, & rem.

5. Sed emergunt duæ non passim obviæ difficultates. Prima est, an si dominus jam ab emente recuperavit rem suam, possit fur retinere sibi pretium habitum ab emente, quandoquidem diximus pretium reddi non debere ipsi ementi? Respondeo. Sanè tunc acquiritas non vult, ut latro ditescat alienâ pecuniâ: quare in eo casu reddere debere pretium emptori, & ita judicandum fore à iudice etiam in foro externo, mihi dubium non est.

Quod si fortè dominus habuit jam pretium suæ rei ab ipso fure, non est justum, ut idem dominus habeat

D d 2 beat

indigens ex Castro Pal. l. c. num. 1. cit. Bonac. Vasq. Azor. ubique. Si rem apud te habeas ex contractu transference dominium, v. g. ex mutuo, debes restituere, quia tunc non consumis rem alienam in necessitate illa, sed tibi ipsi, & obligatio ex contractu jam perseverat. Si ex contractu non transference dominium, v. b. gratia, ex contractu non obligas restituere, quia consumis rem tuam, at contractus depositi, vel similis non obligat restitutionem, quando sine ulla culpa res perit, ut si res sit sine culpa indigentis perit, ergo, &c.

Indigenti an res ipsi necessaria debeatur ex Iustitia?

4. Tertio, An extremè, vel graviter indigens habeat jus Iustitiæ ad res quibus indiget, ita ut dives eas obligetur ex Iustitia porrigere nec solum ex Charitate, sed ex Iustitia. Id valde præstat scire propter obligationem restitutionis damnum ex negatione rerum, quæ dare dives forte recuset, quam restitutionis obligationem sola culpa contra Iustitiam, non verò contra Charitatem vitios, ut sæpe diximus, parit.

Respondendo, debet hic separari quatuor questiones, quæ, quia nonnulli clare non separant, valde confuse mixtæ.

Prima questio est: Quodnam jus indigens habet ad res, quæ indiget, Iustitiæ, an alterius virtutis? Secunda, qua obligatione dives indigenti succurrere debet, jus enim accipiendi in uno, & obligatio succurrendi in altero, non semper ex eadem virtute procedunt: nam ex Religione obligor propter votum, vel gratia, dare elemosynam Ecclesiæ: at Ecclesiæ non habet jus nec Religionis, nec Iustitiæ clam elemosinam surripendi. Tertia, ea obligatio, quam habet dives succurrendi, estne etiam offerendi; an solum non impediendi indigentem, quando rem vult accipere, & solum non repetendi; quando jam pauper accepit. Quarta, si est obligatio ad utrumque, utne recipiat ex Iustitia, an altera ex Iustitia; altera ex Misericordia: His questionibus exactè distinctis cum satisfactum, facile erit ad controversiam propositam respondere.

Quoad Primam questionem, sic statuo: Ipse indigens habet jus Iustitiæ accipiendi rem sibi modis nec necessariam: Ius, inquam, Iustitiæ, hoc modo: non in statu atque indiget, fiat dominus rei, sic enim cum plures in mundo indigent, omnes essent domini, quod non est dicendum: sed ita, ut statim atque illam recipit sibi faciat suam. Ita de Lugo, tom. 1. de iust. d. 1. §. 7. a. num. 143. Ratio est, quia id satis est ad succurrendum necessitati.

Quoad Secundam: Dives obligatur succurrere ipsi ex Charitate, seu Misericordia. Ita Castro Pal. l. c. per. 3. num. 2. alios referens, Less. lib. 2. cap. 12. dub. 12. Ratio est, quia cum res sit sua, atque ipse, antequam rem pauper occupet, sit dominus absolutus, ut dictum est, non apparet, unde obligatio ex Iustitia nasci queat. Adde ipsum obligari ad succurrendum, ut sic solvatur indigentem: at hic, titulus Misericordiæ est, non Iustitiæ.

Quoad Terciam, obligatio divitis est, tum ut offerat, tum ut non impediat. Ratio est quia, secus non observabitur præceptum de proximo in necessitatibus sublevando, præceptum, inquam, illud Mandavit Deus unicuique de proximo suo.

Quoad Quartam: Dico primò, hanc obligationem, quam habet dives offerendi, non esse ex Iustitia, sed ex Charitate, seu Misericordia. Ratio est, quia ipse non obligatur nisi succurrere, ergo non nisi ex motivo succurrendi: At motivum succurrendi est sublevatio indigentis, quæ est motivum Misericordiæ; ergo non obligabitur, nisi ex motivo Misericordiæ.

Deo secundò, eandem obligationem, quam habet dives non impediendi indigentem ab occupatione rei ipsi necessariæ, esse ex Iustitia. Ratio est, quia sicut

Para 1.